# QVADRVPLEX THEOLOGIA

*AD MENTEM SVBTILIS DOCTORIS IOANNIS DVNS SCOTI*

Publicæ exposita Disputationi, & ex integerrimo Consecrata Honoris ac observantiæ affectu

A CONVENTV FF. MINORVM S. P. FRANCISCI REFORMATORVM D. VIRGINIS ASSVMPTÆ

ALMÆ, CATHOLICÆ, ELECTORALI ET CELEBERRIMÆ

# INGOLSTADIENSI VNIVERSITATI.

177

Adm. REVERENDIS, PRÆNOBILIBVS, MAGNIFICIS, ET AMPLISSIMIS DOMINIS, PATRIBVS ACADEMICIS, RELIGIOSISSIMIS VIRIS, SS. Theologiæ Professoribus Excellentissimis, Lavreatis Svpremæ Facvltatis Doctoribvs

Parem cum obsequijs reverentiam.

QVibus in regali honorum campo prima aquilæ assurgere columna, prater Vos, Sublimes Theosophi, *Eminentior apparuit nemo: nec, cui dignius subsit ut rectus capiti* Theologia Dei, *quam Vestro, inventum est ullum. Vos enim celebramini in- & extra fines Patrios Divinæ Sapientiæ* Oracula & Miracula, *quæ vel admirabunda suscipit ætas, vel venerabundus suscipit studiosè Inventutis animus, Vos rari* Phœnices, *Vos chari Sapientiæ & Scientiæ DEI* Thesauri; *qui & abstrusa altissimarum rerum arcana illustri suo ingenio non exhauserunt, penetrevêre certò aut inclusêre; atque igitur inter Beata Comprehensorum Agmina soli aute ceteros* Doctorum *aureolis aliis ornantur ut pluribus conatibus: si quæ felicitatis securitas inter Christiadum commercia; vestris fovetur consilijs: si qui splendor in Tiaris & Personatis; vestris doctrinis & studijs dimanat: si qua Majestas in cælestibus Orthodoxæ Ecclesiæ Sedibus; vestris subornatur emolumentis. si quæ Pietas aut Religio; si quis fanioris doctrinæ cultus; si qua conscientia tranquillitas; inter supremos & infimos, idipsum vestris viribus vel erigitur, vel sustentatur. Operosa vobis Humanæ Rei ac Patriæ Spei iuniti ur moles; nec minùs sacra virtutum gloria vestris adjicitur plausibus, quàm abjectæ vitiorum cultus gloriosis ausibus. Serò vivite, & immortales Bonis omnibus superestote,* Viri undequaq; præclarissimi! *In maximis Divinarum rerum obscuritatibus emergentes erroris anfractus per ingenij serenitatem ac veritatis robur fatigate, pellite, exeunte,* Laureata Sidera: *& quos superna Scientiæ claritas diu latere haud potuit, lateant diu filicet nisi Senectus ac mors præpropera; ut amplissimus fructus, quos ex vestris laboribus cen continuis attraxerat fomibus, olim Remuneratori omnium in gaudij augmentum exhibeat, vos amicè dictis scriptis & gestis Immortales colat additis*

PRÆNOBILIBVS, MAGNIFICIS, STRENVIS ET AMPLISSIMIS DOMINIS, PATRIBVS ACADEMICIS, CONSVLTISSIMIS VIRIS, Sacrarvm Legvm Dynastis, Magnæ Themidis Arbitris, ac Ivris Vtrivsqve Professoribvs Inclytis

Promptum cultus & observantiæ animum.

NOstra *Illis asseritur* Theologia, *quorum interest* Nostrum Vestrúmq; *pari mentium relevatione. Nihil in humanis rebus vel magis pernitiosum, quàm* Suum *malè tueri; vel magis periculosum, quam* Alienâ *iniquè possidere: per Vos autem,* Viri Consultissimi, *medela præstatur omnibus, & jus Suum tribuitur cuique; simul ac implas abolito odio civium turmis nefanda* Injuria *exterminatur. Ruinosis subsistit basibus civilis Societas, ac, nisi vestro sustrahatur auxilio, vergit ad lapsum, labitúrque præceps, & exul mundo profligatur* Justitia. *Vobis propotentes Corona, Cæsarea Sceptra, Regia Purpura ac Diademata, quas subditis gubernandis aquis bene ferunt Leges. concredunt digne explanandas. Vobis Imperia & Regna, hostilibus pericli tatura invasionibus, dulcem, qua fruuntur in se curitate, pacem commendant maturis nutriendam consilijs: Vobis fundenda sanguine charior Patria & inter sagaces gliscens strepitantibus armis hostes, & inter Togatos floreiceus Cives duplicatum erigit Æquitatis obelisicum: Vobis Civile Bonum, Conservatio Humana, Vrbium ac Principatuum splendor parem debens honoris reverentiam & applausum. Si quid Sacrati Decretalium Constitutionú Canones; si quid Sancita Principum Decreta; si quid egregiæ Prudentú Virorum Responsa: si quid deliberata Prætorum edicta; si quid exquisita Senatuum Consulta; si quid memorabilia Plebis Scita; si quid salubria præstantiú Legislatorúm Præcepta, Civili Mundo prospitientis Augustæ integritatis fedære contulerint, illud omne vestro est ligandum judicio arbitrioque dissolvendi. Languerent Iuris Institutiones, Legum Pandectæ, Sanctionum Codex, Rendorum Libri, Cæsarum Novellæ, universi Justitia termini; nisi Vestro Collegio elucubrarentur, disquisitis explanarentur Consilijs, novis judicijs, libris, scriptis & Commentis refererentur. Tales & Tantos Æqui Rectique Cultores sibi*

PRÆNOBILIBVS, MAGNIFICIS, STRENVIS ET AMPLISSIMIS DOMINIS, PATRIBVS ACADEMICIS, EXCVLTISSIMIS TRIVMVIRIS, VITAE NECNOE MODERATORIBVS, VTRIVSQVE MEDICINÆ ARCHIATRIS ET PROFESSORIBVS PRÆSTANTISSIMIS

Animosum honoris & gratitudinis argumentum.

REVELATA *haud immeritò in præclarum honoris titulum Vobis erigitur* Theologia, medendi arte ac dexteritate Præstantissimi Archiatri; *quippe Quibus interna sagacis Naturæ ænigmata & occulta Humanæ Compaginis Mysteria studio ac ingenio patèt intimè revelata. Grande opus, fluxa humanæ vitæ periodi suis cópletis legibus aut congruis prorogare modelis: ut vmo, Vestro moderamini habilitatique datum est à Supremo Microcosmi Architecto, cuius Bonitas exigebat, & hominis ad Sui similitudinem efformare, & eundem labentem per Vos reficere: inde mira simul ac felix Medicorum conditio, quo vos desiderabiles successus intuendo Sol revelat, inopinatos errores simulata Tellus velando Brevit: quorum opem opulentis obsequijs nemo non veneratur Valens, implorat moribundus. applicat eger, commendat defunctus; quorum Virtus ipsis etiam Imperatoribus ac Summis Principibus, nulla cæteroquin vi debellandis, gloriose dominando dat imperia vitæ mortisque; quorum copiosa merces non nisi Regijs stipendijs & amplissimis dignè honorarijs redimitur; quorum honor Divino præ cæteris memoratur elogio propter necessitatem; & hæc ipsa ad illum nobilitatis atque excellentiæ reducta est statum, ut, ubi multi lethalibus incipiunt corrumpi paroxismis multis sit opus Medicis, qui herbis, succis, radicibus, gemmis, metallis, venenis & reliquis pharmacorú generib⁹, vel viriâ præservent incolumit, vel integram restituant, vel gravioribus desentam doloribus untigando confirment; ne aliàs, ubi probrosus Medicorum contempsus aut defectus prævalueris. Res humana, ex sæmetipsis in deteriora labiles, gravem quotidiè subire compellantur jacturam dulcissimi & charissimi pignoris, quod est Vita. Rog, diu vivite vita,* Vitales Paranympbi! *ut, dum diu aliorum salutem æmulamini salutaribus acercere præceptis, vos bonis omnibus emeritos ad supremos*

Adm. REVERENDIS, AMPLISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS, PATRIBVS ACADEMICIS, PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS Doctoribvs et Professoribvs Celeberrimis, Natvræ Morúmqve Solertissimis Disquisitoribvs.

Æquum pro munere Cultum.

QVi Philosophis, *quos ob singulares animi ac Sapientiæ dotes* Principes esse oportet, Beatorvm *erecta subsistit* Theologia? *nemo plane, quod si cæco, fido, admirabitur: enimvero Peripatetici imitatores Stagyritæ, tametsi prophano utpluvimi intenti studijs & ambigvis discvrsiationibvs ad penetrandas verum Naturæ curiosam adhibeant indolê, haud tamen omnè à Divinis auferunt animúm Arcanis sed ex naturalibus præclarè perspectis Metaphysico discursu erga Supremum Naturæ elevantur Authorem, quo nihil Homini optabilius, nihil esse beatificentius potest. Novi, Platonem in Protagora docere, Artes illas, qua humanis seruiunt vsibus, ut vitam hanc sanam & incolumem tueamur, à sagaci hominum industria fuisse inventas, illas vero, quæ ad bene beateque vivendum ducunt, nunquam, sine quibus ecclam rationem nemo intelligat, nemo beatitudinem assequatur, altiorem humanæ trahere originem, Dysig, potius quam hominibus esse excogitatas: inter quas equidem,* Sapientissimi Viri, *vestra præcellit Philosophia, verè Divino studio progenita. Ea proinde Cùm sit Humanarum cognitio verum, solis per naturæ vires propria* Cosmosophia, *nec tamen pro fine suo vltimo intendat per inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm Elementa Mundi, à summa* Beatitudine, *ac Felicitate avertere. sed potiùs ex invisibilibus Dei à creatura Mundi, à summa* Beatitudine, *ac Felicitate avertere. sed potiùs ex invisibilibus Dei à creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, informare vitam, actiones regere, instruere mores, virtutes sacras efficere. Reipubl. regimen sanctè protrahere, omnes ac singulos tanta præsertim* Beatitudine *donare, quanta possumus intra præsentis lucis perfrui angustias; hinc alienis* Philosophi *ornamentis haud indigens, nec larvatis extolluntur miraculis, sed ipsi sibi ejvadunt virtutum miracula & ornamenta* Beatæ *Felicitatis; atque ideo dignissimi, quibus maximam venerationem, majestatem & apud omnes concilier authoritatem*

# THEOLOGIA DEI.

I.

Quatum Theologorum Optimus & Maximus Deus; cujus Theologia est cognitio 1. suæ Divinæ Essentiæ & omniú in Essentia eminenter vel virtualiter contentorum, commensurato modo, 2. Ita ut tantum sit intelligibilitatis objecti in actu secundo, quantum est in actu primo. Re licet sit certa, evidens ac de objecto materiato, 3. Philosophicè tamen scientia dici non potest propter defectum discursus, 4. qui in Deo locum non habet: adhuc nihilominus suo modo 5. dicitur scientia, & quidem respectu veritatum contingentium, 6. Simpliciter speculativa, respectu necessariarum verò 7. vel speculativa, vel practica.

II. Hæcigitur Theosophica scientia non minùs respectu Divini Intellectus tanquam actus primi ac potentiæ intellectivæ 8. Obtinet rationem actus secundi, quàm Divina Essentia habet 9. rationem radicis ac fundamenti emanativi aliorum attributorum sibi realiter identificatorum, ac proinde pro objecto primario omnimodo primitate respicit suam Divinam Essentiam 10. Sub evidenti ratione Deitatis, quam sola perfectissimè & comprehensivè 11. intelligit, non quidem per species quam- [illegible] essem, sed immediatè 12. per suammet Essentiam tanquam per rationem immediatè cognoscendi.

III. Ad secundariam verò objectum Divinæ scientiæ adeoque Divini Intellectus non tantùm 13. reducimus creaturas omnes futuras ac possibiles, in Essentia Divina tanquam in objecto primario & ut 14. Medio prius cognito relucentes, sed etiam res quascumque extra Deum 15. cognoscibiles, atque insuper 16. Attributa positiva ac Relativa Dei, distincta 17. adæquatè ex natura rei formaliter ab ipsa Essentia Divina: inter hæcipsa verò objecta secundaria utique ordinem quendam intelligendi secundùm prius & posterius 18. ponimus admittendum.

IV. Non operatur temerè Divina Mens, sed ut sapientissimè 19. agat ad extra, creaturarum sibi statuit Ideas, quæ formaliter 20. sunt ipsæ creaturæ, tanquam conceptus reales objectivi 21. in Divina scientia contenti & præconcepti ut factibiles ad extra: Personarum verò ad intra producibilium Ideis 22. non utitur, sed illarú duntaxat 23. Creaturarum quibus physica non repugnat existentia: ipsa autem Essentia Divina respectu harum creaturarum nec 24. subit sub ratione speciei expressæ earum, nec absoluta, 25. vt est causa prima cognoscendi eas; nec respectivè, 26. quatenus est cognita ut imitabilis & participabilis à creaturis.

V. Quamtumvis proinde creaturæ ut factibiles ad extra in suis Ideis æternaliter cognoscantur à Divina Scientia, per hanc tamen 27. non obtinent ab æterno aliquod reale actuale esse essentiæ fuæ, sed tantùm esse quoddam cognitum & diminutum, aculiquam 28. medium inter Ens reale & rationis, sed potiùs in sola 29. earum positiva possibilitate constitutum; quæ benè per connexionem extremorum conditionatam 30. explicatur, & intrinsecè ex sua ratione formali 31. convenit creaturis, tametsi adhuc debeat principiativè & extrinsecè à Divina scientia provenire.

VI. Præterea occultum quod nobis est, id apertum patuit semper oculo Divini Intellectus; qui nedum possibilia cognoscit omnia, sed ipsa etiam futura, antequam contingat ea poni in esse à causis suis liberis, sive conditionata sint seu absoluta, infallibiliter ac certò 32. prævidet, non quidem in eorum præsentia 33. coexistente æternitati, non in 34. Ideis propriis, non in causis earum 35. proximis, non in 36. efficacia suæ Divinæ scientiæ, non 37. infinitatis sui ipsius acumine, sed in 38. Essentia sua Divina, quæ ipsi, velut eminentissimum omnis veri Exemplar, quodcumque contingens futurum repræsentat.

VII. Cæterùm totum hoc præscientiæ æternæ negotium commodè sic explicatur: ut enim aliquid ex puro statu possibilitatis extrahatur ad statum determinatæ futuritionis, debet in Divina Voluntate 39. necessariò præcedere decretum aliquod, unde futurum contingens *a certam depromat cognoscibilitatem & determinatam* futuritionem; quo facto decreto, id, quod Intellectus in priori signo per *Scientiam simplicis Intelligentiæ* 40. vidit ut possibile, in posteriori *per scientiam Visionis* 41. videt ut futurum determinatè.

VIII. Ne autem in operando causis liberis infringatur libertatis exercitium ( prout revera per decretum prædeterminans atque antecedens Aliorum, 42. sinon omnino aufferri saltem diminui videtur ) ponimus Divinum decretum neque antecedere neque consequi sed concomitari 43. nostrum decretum humanum, ita ut ob æternitatem continentiam voluntatis creatæ in Divina, perinde sit determinent causæ secundæ in tempore ac si ab æterno sese simul cum Voluntate Divina 44. condeterminassent: tali autem explicandi modo optimè salvamus 45. libertatem voluntatis nostræ, rerumque contingentiam.

IX. Major est difficultas de futuris contingentibus conditionatis. Nobis placet, quod Deus ab æterno etiam de his omnino certam & infallibilem 46. habeat scientiam; ita ut non tantùm ab æterno comprehenderit, quid facere possent omnes causæ secundæ tam naturales quàm liberæ in quolibet rerum ordine, 47. Sed etiam quid de facto facerent, si cum his vel illis circumstantijs in tali rerum ordine constituerentur & operari permitterentur : quia verò neque hæc futura conditionata possunt à Deo certò ac determinatè cognosci, 48. nisi supponatur in voluntate Divina decretum conditionatum condefiniens tale futurum sub aliqua conditione; ideo veneramur quidem Seraphici nostri Doct. Bonaventuræ doctrinam, sed scientiam 49. Mediam ab ipso positam & à pluribus Recentioribus propugnatam, ut insufficientem non accepta-

# THEOLOGIA NOSTRA.

I.

Cneratim omnis notitia de Deo potest appellari 50. Theologia, sive ex naturalibus principijs oriatur, seu ex supernaturalibus, sive humana nitatur authoritate seu divina. Eam nos hic amplectimur, quæ est notitia de Deo ex articulis fidei aliisque veritatibus supernaturalibus orta: cujus proinde *quoad* 51. *Subjectum* tanta est necessitas in Ecclesiæ, ut fine ea ex solo lumine naturæ de facto finem sumum ultimum æternamque beatitudinem consequi nemo possit; cùm sit 52. Doctrina, qua Fides vera & ordinaria ad salutem necessaria, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.

II. *Quoad modum* variè dividitur, 53. in naturalem, moralem, symbolicam, opinativam, Patrum, positivam, scholasticam &c. ex quibus, licèt omnes sint perquàm utiles Ecclesiæ, adhuc tamen longè præcellit 54. *Scholastica*, utpote quæ magis subtiliter, breviter, accurate & energicè observat aperitque consequentias Divinæ fidei conformes aut adversantes.

III. Est autem Theologia Scholastica Habitus quo ad substantiam 55. supernaturalis, inclinans intellectum ad assentiendum conclusionibus de Deo, per evidentem consequentiam 56. *deductis ex principijs* partim credi tis partim naturaliter notis, & ideo non tantùm habitui rorum obscurarum declarativus, aut difficillimarum probativus sed etiam defensivus, & insuper dici debet. 57. deductivus earum, quæ in explicite revelatis veritatibus implicitè continentur.

IV. *Objectum* ejus *complexum* 58. numerantur omnes illæ veritates, necessariæ sint vel contingentes, quibus in Theologico discursu assentimur : *incomplexum* materiale generatim sunt omnia & singula 59. subjecta conclusionum Theologicarum; *communitate*, Ens latissimè sumptum; *attributionis*, Deus; *formale quod* non est Verbum 60. Divinum in duabus naturis subsistens, neque Deus sub respectu aliquo ad intra 61. vel abextra, sed *Deus ut Deus: formale Quo*, idem Deus sub ratione primæ veritatis revelantis 62. mediatè.

V. Quia verò circa nobilissimum versatur objectum formale, & tanquam suprema 63. rectæ cognitionis Regula ad suum finem ultimum ordinat hominem, atque etiam ex officio de reliquis scientijs 64. judicat, an à primæ Veritatis regibus haud aberrent : hinc ejus dignitatem Habitus naturales, speculativi vel practici, quomodo-& quantumcunque evidentes aut præstantes, etiam utriusque Iuris Prudentia 65. debitum meritò defertur honorem, cedunque posteriores.

VI. Inrigore quidem philosophico 66. nec scientia potest nec debet nominari, prout tamen scientia distinguitur contra opinionem & fidem humanam, absolute 67. meretur scientiæ prædicatum : ac proinde est scientia, respectu complexionum necessariarum simpliciter 68. practica, & respectu contingentium per se quidem 69. speculativa, per accidens verò 70. practica, neutriquam autem Theologiæ Dei aut Beatorum. 71. Subalternatur 72. Theologiæ etiam ita suæ proprio sensu supremam obtinet Sapientiæ 73. perfectionem, etiam quoad eventus conditiones ad sapientiam à Philosopho requisitas, tametsi ab eo ob defectum luminis fidei fuerit plane ignorata; sumendo nimirum sapientiam philosophicè 74. pro habitu per causas universalissimas & altissimas procedente, à quo non tantùm secundum quid & in certo genere, sed simpliciter quispiam denominatur sapiens.

VII. Difficultet Loci Theologici ad certum redigun tur numerum, 75. facilius principia discernuntur : nam primum Theologiæ nostræ principium propter quod relicta Controversiarum sibi, supponimus 76. ly, *Cum revelatum à DEO sit verum.* Pro proximis autem assumimus omnes 77. Propositiones fidei, immediatè vel in Sacra Scriptura revelatas, vel per traditionem acceptas, vel per Ecclesiæ definitionem propositas, atque ijs puritatem Catholicæ Veritatis conservamus illæsam. Ex quo patet, quòd sublata 78. Fide tanquam habitu principiorum *Theologicorum non possit in aliquo manere Theologia nostra*, & consequenter nec maneat in hæreticis, nec 79. ejusmodi hypostaticè Verbo unita.

VIII. Tametsi *Propositio* ex utraque præmissa revelata procedens sit 80. propriissimè *Theologica*; est tamen certum vere 81. Theologica illa, quæ sequitur cum tantùm præmissa revelata & alia naturaliter evidente: quo casu *Theologia nostra* utitur principio lumine naturæ notato, non ut proprio 82. sed alieno, quod principio primario & revelato, in quo ratio movens ad assensum conclusionis includitur, ad effectum evidentis consequentiæ, tantùm deservit. Nequit ècontra dici propositio 83. vere ac proprie Theologica, quæ constat una præmissa revelata & altera tantùm probabili non revelata; sic enim discursus non foret certus & infallibilis sec opinativus & fallibilis, concludere potens simpliciter fas tum. Quod si verò præmissa naturalis sit certa & evidens 84. moraliter, quæ nimirum spectatis omnibus non sinat hominem moraliter loquendo dubitare nec timidare de oppolito, tametsi forè absolutè & physicè loquendo, quantum est ex parte motivorum vel mediorum, possit subesse falsum; tunc adhuc illa cum una revelata ad discursum Theologicum potest sufficere.

# THEOLOGIA REVELATA.

I.

Um discursus Theologiæ nostræ præcisè eliciatur ex primo & proximis Principijs divinitus revelatis, hæc autem constant in Canonico Verbo Dei, nobis per Scripturam sacram vel traditionem relicto; hinc necesse est 85. à Theologo fciri & admitti Utramque. Est autem Verbum Dei scriptum 86. quod inspirante Spiritu Sancto revelatum est, & per hominem velut quendam calamum divina exegerat manu conscriptum, atque ab Ecclesia canonicè receptum.

II. Ex quo idem prosus sonare videntur *Theologia Revelata* ac Sacra Scriptura; cujus authoritas ac certitudo tanctesi absolute ex interno Enthusiasmo 87. autprivata revelatione nobis constare possint, de facto tamen & ordinarie nec 88. internum Spiritus sancti testimonium, nec privata 89. revelatio, nec 90. criteria singula vel conjuncta sine extrema applicatione, ad eas demonstrandas sufficiunt, sed 91. ad Ecclesiam confugiendum est, cui ob infallibilem Spiritus sancti assistentiam competit definire, quænam Scriptura credenda sit pro sacra, canonica & divinitus revelata.

III. Alia autem est ratio Verbi Divini *revelati*, & alia Divinæ *revelationis*: nam per se loquendo 92. sufficit ad fidem divinam, ut quis credat Verbum Dei revelatum, tametsi ipsam ejus revelationem ex humano testimonio vel aliis motivis morali certitudine sibi prudenter persuadeat: adeóque motivum, cur credam id, quod revelatum est, 93. erit summa Dei veracitas; motivum verò cur credam ipsam revelationem, esse poterit 94. humana veracitas, morali certitudine perspecta.

IV. Porro de numero Librorum Canonicorum Sacræ Scripturæ gravis semper inter Catholicos & Acatholicos glisscebat controversia: hi enim, cùm caro & sanguis eis suam inspirârit doctrinam carnalia sapiunt, & proinge nita perfidia in Sacræ Scripturæ Libros liberè debachantur: Illi autem, qui à Patre Cælesti missum acceperunt Spiritum veritatis, totindubie pro canonicis 95. venerantur libros, quot Ecclesia Romana pro Canonicis agnoscit, determinat ac definit venerandos.

V. Hæc autem Romana Ecclesia, quæ 96 D. Petri Primatum in Summorem Pontificum canonica successione semper obtinuit, prout est columna veritatis acin rebus fidei momentosæ 97. errare non potest, ita in Tridentino Concilio sess. 4. recte facta Scripturarum à D. Hieronymo in Latinum idioma versam pro authentica ac canonica 98. cum quibusdam adhuc aliis libris jubet imprimi atque acceptari, ita ut vulgatam hanc Latinam editionem quocunque prætextu nemo reijcere audeat vel præsumat.

VI. Quo tamen non obstante decreto probabilius videtur, quòd adhuc liceat de quibusdam ejus minutijs 99. pie, humiliter ac prudenter dubitare, an sint canonicæ. Et licet Scriptura sacra 100. sit vera norma ac regula fidei moralis, quæ tamen 101. non omnia ad salutem scitu necessaria clarè proponit, sed pluribus in locis admodum obscura graves contingere difficultates, quæ non semper 102. ex aliis ejusdem sacræ Scripturæ locis sine Theologico discursu possunt explicari ; unde non expedit, ut 103. Biblia sacra ab omnibus utriusque sexus hominibus promiscuè legantur.

VII. Inter maximas quæstiones fidei est etiam ista. Quisnam sit Iudex Controversiarum fidei ? Plerique solam sacram Scripturam 104. pro tali Iudice inique agnoscunt Hæretici : alij ad privatas seducti 105. confugiunt perperam inspirationes : alij fexcenta alia Iudicum tribunalia perfide erigunt ac 106. malignè usurpant. Nobis Controversiarum fidei 107. Iudex morumque Magistra sit sancta Romana & 108. vera Christi Ecclesia, ad quam publicè spectant, fidem proponere, ordinare ejusque bolum, interpretari Scripturam, & dici controversias decidere.

VIII. Nec Dei Verbo, *non scripto*, contenti sumus quasi illud solum sit nobis divinitùs revelatum, nec præter illud quidquam aliud fide divina credi debeat: sed pro Verbo Dei etiam recipere tenemur 109. Divinas, Apostolicas Ecclesiasticasque *Traditiones*, atque etiam Catholicæ Ecclesiæ canonicas 110. *Definitiones*: quæ omnes tam infallibile ac certum nobis præstant motivum credendi, ac præstat ipsum Verbum Dei scriptum.

IX. Sensus sacræ Scripturæ generatim duplex est, *Literalis* seu *Historicus*, & *Spiritualis* seu *Mysticus*; prior necessariò cuilibet textui debet convenire, cum sit basis & fundamentum aliorum sensuum; immò unius loci plures subinde sunt Sensus litterales, sive omnes proprie, seu omnes figurate, sive unus proprie & alij figurate per verba significentur: posterior in tres alios subdividitur, scilicet in *Allegoricum*, *Tropologicum* & *Anagogicum*: qui omnes 111. efficax Theologo Scholastico suppeditare possunt argumentum de fide concludens, si de ijs certò constet, quòd provenianteex mente Authoris canonici: Sensus verò *accommodatitius* per se loquendo, 112. nullum prorsus in argumentando de fide robur obtinet confirmans: ubi summopere cavendum, ne vel pro literali invalescat aut intrudatur accommodatitius, vel ad mufcas, nugas, adulationes & alia minùs decentia applicetur; prout graviter à Trident.

Conc. Sess. 4. prohibetur.

# THEOLOGIA BEATORVM.

I.

Quod nos in via sub obscuro ænigmate ænæ inquirendo contemplamur Divinum Objectum, illud in Patria secure possidemde *à facie ad faciem* intuentur 113. Cælestis Bravij Comprehensores : quippe, quam nos *obscuram*, Illi de Deo undequaque perfectam & evidentem 114. callent Scientiam, in quo equidem Theologico objecto clarè & distinctè ea vident omnia Divinitatis Bona, 115. ac videndo fruuntur Bonis, quæ non tantùm Intellectus sui capacitatem, sed etiam amplissimum voluntatis appetitum possunt abundè complere & satiare.

II. Et ideo non fallacibus 116. divitijs, non futilibus gloriæ, fortunæ, honoris aut famæ 117. donis, non elatæ alijs imperandi dominandive 118. potestate, non sterilibus sensuum aut corporis 119. voluptatibus plenè beatificatur Creatura Rationalis, beatitudine omnemali specimen à sese excludente, 120. sed Summo, Infinito & Maximo Bono, quod est solus Deus; in cujus visione secura & amore perpetuo ita occupantur Beati, 121. ut nec timorem de gaudij fine, nec de possessionis securitate expavescant, sed utramque evidenter 122. cognoscant sibi semper æternùm; licet interim nec 123. Perpetuitas sit de Essentia Beatitudinis, nec 124. Securitas de Essentia Perpetuitatis.

III. Porro supernaturalis Beatitudo, formaliter pro actuali consecutione Summi Boni considerata, essentialiter nec consistit in 125. sola *Visione*, nec in 126. sola *Fruitione* seu Amore amicitiæ, sed in 127. utrisque simul, adhuc tamen principalius 128. in amore quàm visione. Etsinde Beati non tantùm 129. evadunt *impeccabiles*, sed eorum etiam corpora redduntur 130. *impassibilia*, quatenus ratione beatitudinis jus quoddam debeatur corpori glorioso, ne Deus ullam in eo permittat læsionem; & 131. *clara*, ita ut videri possint lucida ac colorata perfectissimis coloribus, suæ complexioni debitis, & 132. *agilia*, ut sese possint promptè ac indefatigabiliter movere quoquo versum, & 133. *subtilibia*, ut sine divisione possint alia corpora non gloriosa penetrare: quibus omnibus speciales accedunt Aureolæ Virginum, Martyrum & Doctorum.

IV. Possibilis quidem est 134. species impressa Divinæ Essentiæ representativa, quæ tantùm ad 135. cognitionem abstractivam, nullatenus verò ad habendam 136. intuitivam posito ac debeat desservire, ad eam, tamen perfectionis statum elata est *Beatorum Theologia*, ut quem nos alienatis speciebus 137. abstractivè nobis imaginamur Deum, Illi de facto sine ulla specie impressa 138. intuitivè apsiciant : quidquid-sit, an propria species impressa Dei ulli unquam 139. fuerit communicata.

V. Oculus corporeus absolutè 140. non potest elevari ad videndum Deum, 141. Potest verò & 142. de facto elevatæ Intellectus creatus ad visionem Dei non tantùm *naturalem* sed etiam *beatificam* ; cujus possibilitas medio negativo simul ac 143. positivo naturaliter ex omnipotentia Dei & 144. naturaliter appetit, & 145 elicitè desiderat possidere : nec tamen ideo Dei visio Intellectui creato etiam per lumen gloriæ elevato, 146. connaturalis dici potest, sed verè quoad substantiam 147. manet supernaturalis.

VI. Beati omnes ac singuli reipsa & de facto 148. videnti non solum Divinam Essentiam & Attributa ejus absoluta, sed etiam Relationum Personalium SS. Trinitatem, & quidquid formaliter est in Deo, tam clarè & distinctè, ut 149. positiv Divina Attributa distinguere alijsque tessiferi, quòd Deus verè sit Unus, Trinus, Vo lens, Justus, &c. Item ex 150. vi visionis beatificæ videnti creaturas aliquas possibiles, 151. atque insuper actualiter existentes in Deo 152. tanquam in medio cognitos; per Cuius absolutam potentiam 153. non implicat Visio Dei præcisiva, etiam 154. ut beatifica, qua clarè & distinctè videatur Essentia non visis Attributis aut Relationibus.

VII. Elevatio Intellectus creati ad Visionem Beatificam 155. fieri absolutè posset sine lumine gloriæ; de facto autem placuit Opt: Numini Intellectum 156. elevare per Lumen gloriæ, cujus interim munus non est, 157. ut subeat locum speciei Intelligibilis; nec 158. ut tribuat facultatem [illegible] nec 159. ut is superaddat solum decorem; nec 160. ut ei deserviat ad recipiendam visionem; sed 161. ut ei conferat virtutem activam in ordine suo, 162. non quidem operandi vitaliter, sed supernaturaliter actum visionis Divinæ efficiendi.

VIII. An verò hoc Lumen gloriæ se habeat cum Intellectu Beatorum ad producendam Visionem ut Principiú Habituale vel ut Actuale ? Probabile 163. est utrumque; neutrum 164. in Concilio Viennensi definitum de fide: nobis magis 165. placet, quòd sit Principium habituale: & displicet admittere, quòd Intellectus creatus formaliter posit 166. videre Deum per Visionem increatam ipsius Dei, sibi quomodocunque unitam : cæterùm non tantùm de 167. possibilibi sed etiam de 168. facto perfectior Intellectus cum æquali lumine gloriæ perfectiorem & intensiorem producit visionem, quàm alius individualiter non tam perfectus.

IX Unàcum lumine concurrit Beatorum Intellectus immediatè, physicè & activè 169. per virtutem sibi innatam & identificatam, tanquam causa 170. magis principalis ad visionem seu Theologiam beatificam, quæ utique non erit complexio 171. judicativa aut 172. discursiva, sed formalis & 173. expressa Dei similrudo, ac simplex totius Objecti cogniti 174. Apprehensio : & ad hanc juxta meritorum ac Gratiæ diversitatem 175. inæqualiter capessendam admittuntur Animæ Sanctorum mox ut post mortem. 176. satis fuerint purgatæ & expiatæ; ad quarum Beata Consortia nos suspirantes adjungat Theologorum omnium Opt. Max. Deus!

DISPVTABVNTVR AVSPICE DEO

Ingolstadij in Ecclesia FF. Minorum S.P. FRANCISCI, Reform.

Præside P. F. Fortvnato Hverer, ibidem SS. Theolog. Lectore Ordinario.

Defendet Fr. Leo Mayr.

*Anno M. DC. LXVI. Die 17 Mensis Augusti,*

*Horis pomeridianis.*

Cum Facultate Superiorum, INGOLSTADII, *Typis Ioannis Ostermayr.*